

« genitori e basta ». Id confirmat actricis soror, quae declarat: « Il confessore le disse di piegarsi ai voleri del papà, chè sarebbe « stata benedetta da Dio. Da questo momento la Lena, pur sentendosi sacrificata, non ha più titubato ».

14. — Ex deductis igitur constat Magdalenam Ochi matrimonium cum Nestore Maccarini inivisse non ob gravem indignationem parentum, sed ob suam pietatem in ipsos, religiosis sensibus corroboratam. Deficiente probatione metus gravis ab extrinseco et iniuste actrici incussi ad eius consensum obtinendum, invaliditas matrimonii declarari non potest.

15. — Quibus omnibus in iure et in facto consideratis, Nos infrascripti Auditores de turno etc. definitive sententiamus: *Non constare de nullitate matrimonii, in casu, seu ad propositum dubium respondemus: Affirmative, ad primam partem, negative, ad alteram partem.*

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 11 augusti 1930.

Franciscus Morano, *Ponens.*  
Arcturus Wynen.  
Guillelmus Heard.

Re delata ad S. T. Signaturae Apostolicae, plenarius coetus Supremi Tribunalis die 23 augusti 1935 sententiavit constare de matrimonii nullitate, in casu.

## R. P. D. ANDREA JULLIEN

### SEPARATIONIS

#### SUMMARIUM

1. Facti species. — 2. 3. 4. Iuris principia de causis separationis tori, mensae et habitationis. — 5. Actor ipse excludit perpetuae separationis causam, seu adulterium uxoris; — 6. ad causas autem separationis temporariae ab eo adductas — 7. conventa respondet virum ideo tantum desiderare separationem, ut cum sua amasia in ecclesia schismatica matrimonium contrahere possit, — 8. quod negat quidem conventus, — 9. sed constat omnino de eius relationibus suspectis cum puella schismatica, — 10. et de eius voluntate ineundi matrimonii coram ministro schismatico; — 11. accusationes vero a viro adversus uxorem promotae non sunt probatae depositionibus testium; — 12. quae vero uxor ipsa de suis increpationibus admittit, attenuantur ob motivum, ob quod mulier tradita a viro ad illa effundenda efferretur, — 13. quod adhuc magis patet ex responsionibus mulieris ad singula capita accusationis; — 14. quare vir sibi imputet quae vitam conjugalem gravissime perturbaverunt, — 15. neque oportet examinare dissidia, quae iuxta virum vitam communem a prioribus iam annis perturbaverunt, cum actor illa dissidia non adduxerit ut causam directam separationis. — 16. Fertur sententia non constare de legitimis causis separationis.

#### DECISIO XLVII

1. — Paulus, mense augusto, anno 1908, cum Blanca sponsalia iniit. Ambo sponsi, mutuo amore capti, non obstante contrario patris Blancae sensu, matrimonium contraxerunt in facie Ecclesiae, die 17 aprilis 1909. At vero, die 4 mensis maii, anno 1927, Paulus libellum supplicem porrexit ad Curiam X., ut inter ipsum et Blancam institueretur canonica separatio tori, mensae et habitationis, quia iurgiis continuis ac gravissimis ab uxore in semetipsum excitatis, vita communis reddebatur non modo periculosa, sed impossibilis. Revm̄us Archiepiscopus, inquisitione peracta, die 1 octobris 1927, reiiciendam pronuntiavit petitionem Pauli. Paulus appellationem ad N. S. O. interiecit, et, variis difficultatibus superatis circa competentiam, gratuitum patrocinium, suppletoriam inquisitionem, hodie causa proponitur definienda sub hac dubii formula: *An constet de causis legitimis separationis tori, mensae et habitationis, et cuinam ex partibus culpa praecipue imputanda sit, in casu.*

2. — **In iure.** — De legitimis causis separationis tori, mensae et habitationis, haec statuuntur: De separatione perpetua, can. 1129, § 1: « Propter coniugis adulterium, alter coniux, manente vinculo, ius habet solvendi, etiam in perpetuum, vitae communionem... ». De separatione temporaria, can. 1131, § 1: « Si alter coniux sectae acatholicae nomen dederit; si prolem acatholice educaverit; si vitam criminiosam et ignominiosam ducat; si grave seu animae seu corporis periculum alteri facessat; si saevitiis vitam communem nimis difficilem reddat, haec aliaque id genus, sunt pro altero coniuge totidem legitimaе causae discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de eis certo constet, et periculum sit in mora ». Ut liquet, hac lege non taxative determinantur separationis ad tempus certum incertumve causae, quae multae quidem esse possunt (Conc. Trid. sess. XXIV, *De sacramento matrimonii*, can. 8). Verum, quamvis cohabitatio non sit de matrimonii essentia, separatio tamen tori, mensae et habitationis, etiam temporaria, est res gravis, utpote publica, obligationi naturali contraria, ac periculis plena pro coniugibus, specietenus de continentia servanda; quapropter separationis causa, ut sit legitima, debet esse proportionata, id est continere periculum sive animae sive corporis ita grave, ut cedat obligatio illa, qua coniuges servare vitae coniugalis communionem iure tenentur (can. 1128). Et patet, attentis exemplis a Legislatore in cit. can. 1131, § 1, relatis, ex iure veteri quidem.

3. — Quo melius aestimetur odium, iurgia aliaque vexationes, quae, ut in praesenti specie asseritur, possint dare iustam causam separationis, sat sit, ad normam can. 6, 2°, referre interpretationes receptas apud probatos auctores, probatos quidem et confirmatos iurisprudencia S. C. Concilii et N. S. Ordinis (cfr. v. g., *Decisiones Rotae* 5 iulii 1910; 20 aprilis 1912; 30 iunii 1928<sup>1</sup>, ubi allegantur *Conclusiones* S. C. Conc.). Ita post clara iura, cc. 8 et 13, X, *De restitutione spoliatorum*, II, 13; Sanchez, *De sacram. matrimonii*, lib. X, disp. 18, n. 2 ss.; Reiffenstuel, in lib. IV, tit. 19 *De divortiiis*, n. 37; Schmalzgrueber, in eod. tit., n. 143; Ferraris, *Bibliotheca*, v. *Divortium*, n. 29, docent unius saevitias, seu odium aut furorem, esse pro altero iustam discedendi causam, quamdiu periculum durat, si coniux innocens insidias, minas serias ac graves, tractationem crudelem, non modo iam passa est, verum etiam solum probabiliter timet. Similiter iusta causa faciendi separatio-

<sup>1</sup> S. R. R. *Decis.*, vol. II, p. 243 ss.; vol. IV, p. 198 ss.; vol. XX, p. 268 s.

nem est « molesta cohabitatio ex frequentia iurgiorum et rixarum, quas coniugum alterius inveterata et indomita improbitas solet excitare; quia huiusmodi incommodorum metus est gravis, et in constantis animi hominem cadens: imo in huiusmodi coniugio salus corporis et animae periclitatur ». Hucusque Schmalzgrueber, tit. cit., n. 144, cum pluribus AA. allegatis.

4. — Quapropter ad aestimandam gravitatem saevitiarum et aliorum huiusmodi, si facta utique ponderanda sunt, magis tamen consideretur oportet animus ex quo procedunt et species quam exinde recipiunt, ratione quoque habita indolis et conditionis coniugis patientis. Enimvero separationem fieri nefas est ob levia quaedam incommoda, quamvis repetita, puta discrepantis indolis causa; neque ob graviora iurgia, sed quae, nata ex insolita quadam ira et inopinato perturbationis motu, non excludunt spem proximae reconciliationis; nec a fortiori ob iustam reprehensionem et correctionem (cfr. Schmalzgrueber, cit. tit., n. 163 ss.): cuncta huiusmodi non inferunt gravem offensionem aut metum gravem in animum constantem. Contra vero, iusta est dicenda causa separationis, ubi datur probatio certae malitiae diuturnae, certaevae propensionis et assiduitatis ad grave malum inferendum, aut si difficultas ad servandam vitae communionem probetur *nimia*, iuxta verbum *nimis* scriptum in can. 1131, § 1, id est si imponeretur onus diuturnum, quod viribus personae constantis imponi recta prudentia vetat. Si res per viam iudiciariam definienda est, iudex igitur non arbitrio, sed cunctis rimatis circumstantiis personarum, temporis, loci, aestimet sitne probatum iudicialiter huiusmodi periculum grave pro persona, de qua agitur.

5. — **In facto.** — Actor in causa, Paulus, interrogatus quibus de causis instituendam contenderet separationem, perpetuae separationis causam, seu adulterium uxoris, exclusit ipse iam in prima instantia, seu anno 1927. Quaesitus enim, quid contra morum probitatem Blancae, qua uxoris, qua matris, probare posset, nulla interposita dubitatione respondit: « Non posso portare nessuna prova, anzi dichiaro che su questo punto è stata sempre «esemplare ed irreprensibile». Verumquidem Paulus idem postea, in appellationis libello (14 octobris 1927), se putavit gravatum sententia Curiae X., quae nullam rationem habuerit accusationis quam ipse moverat de levitate uxoris. Attamen ex causae actis, quae multa quidem sunt, deesse videtur fundamentum quo actor possit ostendere ius sibi esse ad separationem perpetuam ob uxo-

ris culpam. Ad id enim non iuvat epistola quam Ioannes M., de suspecta quadam relatione Blancae, misit ad Paulum; nam Paulus epistolam illam, die 4 novembris 1926 datam, pro nihilo habebat, cum, anno 1927, proclamavit suam uxorem esse omni suspicione maiorem. Similiter in instantia praesenti, oretenus et scripto fuse exposuit Paulus separationis motiva, sed de adulterii accusatione nihil dixit.

6. - Siquidem eandem ob causam in utroque iudicio Paulus petivit separationem fieri: videlicet, quia vexationes quas ipse uxoris culpa passus est iam a prioribus vitae coniugalis annis, ita novissimo tempore in excessum creverunt, ut mulieris conversatio sit non modo difficilis, verum etiam periculosa valde et pro anima, ob desperationem qua ad nefaria patrandam premitur, et pro corpore, attento nervorum morbo quo ipse agitur. Pro assumpto suo argumento Paulus contendit adesse certa et clara: « I principali motivi, pei quali domando la separazione di letto e mensa, sono: 1) Le continue scene che in seguito alla totale differenza di carattere tra me e madama già da molti anni sempre più spesso avevano luogo, tanto che negli ultimi tempi prima della partenza di madama (id est die 13 iulii 1927) le querele avevano preso un tale carattere di gravità da far temere le più catastrofiche conseguenze sia per l'una che per l'altra parte, visto lo stato di nervosità e di eccitazione al quale madama mi aveva ridotto col suo modo di non darmi mai pace, e visto il temperamento fiero e bellicoso di essa. Fra i tanti episodi della vita d'inferno che regnava fra di noi, cito due esempi che chiaramente provano in che pericolo di tremende conseguenze ci trovavamo: a) In uno dei soliti alterchi che giornalmente avevano luogo, madama afferrò una sedia, e mi si avventò contro inseguendomi fino alla porta di casa, e se io non avessi voluto evitare ogni ulteriore conflitto, uscendo di casa, mi avrebbe certamente colpito, oppure nella lotta l'avrei io per mia difesa ridotta a chi sa che punto! Mia sorella fu presente a questo fatto. b) In un altro alterco, madama ... spalancando la finestra si mise a pieni polmoni a chiamare aiuto senza nessun bisogno, provocando così uno scandalo, facendo accorrere, era sera, una quantità di gente ed i carabinieri, e tutto ciò nella speranza di rovinarmi. ... Un'altra volta ... madama incominciò fuori delle porte a versare un torrente di improprie contro di me e si scaraventò contro la porta della camera che io avevo per fortuna

« chiuso, volendo a viva forza entrare per venire a mani o per farsi bastonare. 2) Di avermi essa stessa in una lettera che mi scrisse più tardi quando aveva abbandonata la mia casa, fra la massa di ingiurie che mi regalava, dichiarato che si sarebbe terribilmente vendicata. 3) Di avere il giorno 13 - VII - 1927 contro la mia volontà e permissione abbandonato il letto coniugale, partendo per la Dalmazia e lasciando un figlio ammalato con 39 gradi di febbre a letto. ... 4) Di aver madama col mezzo di suo padre tentato tutti i mezzi per rovinarmi moralmente e materialmente. ... 5) Di avermi in pubblica via scaraventato addosso una quantità di improprie nell'epoca che era ritornata qui e non stava più in casa mia. ... 6) Di avere instigato mio figlio Edgardo contro di me in modo da ridurlo a minacciarmi. ... 7) Di avermi coi suoi maltrattamenti rovinato la salute dell'anima e del corpo. ... 8) Di avermi ricusato di darmi i pasti in casa, rifiutandomi le posate, piatti, ecc., e costringendomi di farmi venire il cibo dall'albergo, causandomi inoltre spese inutili. Anche la roba dovetti farmi lavare fuori di casa perchè madama si rifiutava di farla lavare in casa. Per non entrare in tentazione, dovetti farmi trasportare il letto al primo piano in cancelleria e così essere messo al riparo dagli assalti di offese di madama che voleva provocarmi ».

7. - Uxor vero ad tot ac tanta quid respondeat? Unam esse causam qua Paulus ad separationem impetrandam rapitur: turpe scilicet commercium, quod, quasi insaniens, fovet a pluribus mensibus cum puella quadam operaria schismatica, quam sibi nova unione vult copulare: « Dopo 18 anni ha conosciuta una sua operaia di religione greco-orientale (schismatica) e questa gli ha fatto perdere la testa completamente: mi maltrattava, spuntava ecc. Mio marito ha 49 anni e l'operaia circa 22. Mio marito vuole sposare la sua amante e a tale scopo faceva già dei passi per lasciare la religione cattolica ». Ita Dña Blanca, ad 4 et 13. Aliis terminis, iuxta uxorem, Paulus, stulte deperiens puellam illam, ut se cum ea publice coniungeret, intendebat canonicam obtinere separationem, schismati adhaerere, et, sententia separationis mutata a clero, ut aiunt, orthodoxo, in sententiam divortii pleni, libere novum matrimonium contrahere.

8. - Circa assertam istam intentionem Paulus dedit declarationes plures, quae perpendendae sunt ac deinde conferendae cum iis quae comprobantur actis.

Fictum prorsus esse consilium ineundi novum istud matrimonium asseruit Paulus; nam id solum simulavit ut mulier instauraret ipsa processum separationis; sed artificium illud ita ad exitum bene venit, ut cuncti existimaverint iactata ista esse vera. Hodie vero Paulus solemniter affirmat se nunquam positive voluisse alterum matrimonium contrahere. Ita actor Paulus in epistolis ad N. S. Tribunal et ad Curiam X., die 18 februarii, die 9 martii, die 28 martii a. 1930 datis. Iamvero quaeri posset qua de ratione Paulus confugerit ad gravissimum istud mendacium, si revera tantae adessent, ut ipse pariter contendit, saevitiae ac iurgia ex parte reae conventae. Sed in actis exstat alia eiusdem viri declaratio, scripta ad Curiam X., die 3 aprilis 1929, in qua legitur illum schismati adhaerere de facto voluisse sed solum post processum, ut significaret suam desperationem adversus Curiales X., qui summa cum iniuria denegaverant separationem: « Io — prosequitur actor — nella disperazione di vedermi così ingiustamente trattato, avevo voluto in atto di protesta essere cancellato da una religione che aveva simili funzionari, i quali per loro vista, e contro i canoni volevano costringermi a continuare una vita coniugale, che date tutte le circostanze che ogni giorno si aggravano, non può finire che con una tragedia, della quale tutta la responsabilità cadrebbe su quelli che non vollero fare il loro primo dovere, cioè di separare due persone che non possono più vivere, non solo assieme, ma neppure vicino come tanti fatti lo dimostrano ». Manifesta est ergo contradictio in quam cadit actor, quae revera maior paret, si declarationes illae comparantur cum factis quae ex actis relevantur.

9. — Praeprimis extra dubium ponitur quod Paulus habuerit cum puella supra dicta schismatica relationes suspectas valde. Heic autem non pronuntietur oportet super facto adulterii necne; sat ad propositum sit ostendere quod Paulus iam ante initium processum se gerebat modo quo Blanca qua uxor, qua mater, iure merito gravissime offenderetur. Documento sint epistolae, quas, indubiis signis amoris tenerrimi refertas, Paulus non verebatur mittere ad praedictam puellam. In actis exstant epistolae datae a Paulo die 17 augusti 1926, die 3 octobris 1926, die 11 ianuarii 1927; sed ex earum tenore eruitur alias eiusmodi plures esse iam scriptas. Et Paulus duas saltem ex illis epistolis non dubitat ipse agnoscere in declaratione data die 9 martii 1930, de qua supra.

Confessio illa aperta ac repetita turpis istius commercii con-

firmatur depositione uxoris, quae rem sic dilucide narravit: « Nel 1926 in febbraio io era dopo una operazione gravemente ammalata. Durante la mia malattia mio marito aveva più occasione di fare una vita libera. Così si alzava di buon'ora e di sera tornava tardi a casa. Siccome era il tempo freddo, io m'accorsi che ci dovevano essere delle ragioni di questo suo modo di agire. Tanto più che lui nello stesso tempo cominciò ad essere verso di me indifferente. Appena mi alzai, io guardavo di capire bene la cosa e una mattina lo trovai nell'officina dei tabacchi, che si trova nella stessa casa dove abitavamo, assieme con questa sua lavorante. In quel momento io bastonai, quanto più potevo, la ragazza, e dopo che si era ritirata, mio marito diede a me uno schiaffo così grave, che ne riportai segno per parecchi giorni » (ad 6).

10. — Ulterius ex actis constat quod Paulus voluit inire cum puella saepe dicta, quam deperibat, matrimonium coram ministris schismaticis; quo ut rem adduceret, decrevit se religionem catholicam deserere et schismati nomen dare. Producta est enim in iudicio epistola, quam Pauli mater dabat ad patrem Blancae, die 29 aprilis 1927, ante igitur initium processum, nam libellus introductorius est die 4 maii 1927 subscriptus. Atqui mater Pauli, modo indubio, ostendit voluntatem, quam iam a tempore ac deliberatam filius habebat, Fidem et uxorem abiiciendi, ut alii mulieri adhaereret. Pauli mater suos doloris sensus exprimebat ad patrem Blancae summa cum commotione, ut ecce: « Può darsi un maggior martirio che assistere quale spettatrice all'obbrosio dramma, che fatalmente si svolge nella mia famiglia? È un dolore profondo, acuto, smisuratamente grande. Questa è la distruzione di tutto e di tutti. Lei soffre spaventevolmente nel suo affetto paterno, per l'abbandono della figlia ... Io invece sono doppiamente colpita nell'unico mio figlio che non dà ascolto alle mie parole amoroze, colpita sapendolo colpevole, debbo condannarlo! Può esistervi un maggior supplizio? ... Lui, figlio del mio cuore, calpesta il medesimo, rinnegando col passo che sta per fare ... tutti i santi principii, che cercai d'istillargli da fanciullo, quelle massime che ogni uomo onesto aver deve. Allora in seguito alla lettera di Blanca indirizzata a Ines (sorori Pauli), nella quale sua figlia chiamava mia figlia a Z., al momento stesso la medesima si mise in viaggio, ed io a quella po- vera martire consegnai uno scritto per Paolo vergato tra sin-

«ghiozzi ed amare lagrime. Mi privai per tanto tempo della mia «povera Ines ...». Legitur enim in quadam epistola patris Blancae, ad Paulum, quod Dña Ines remansit apud cognatam Blancam dies circiter quadraginta. In litteris autem quas mater per filiam tradebat ad filium, haec inter cetera legebantur, quae rescribebat eadem mater in epistola ad patrem Blancae: «Paolo, rinnega me che sono tua madre, ma non rinnegare la tua fede, «il più grande tesoro che sulla terra abbiamo. Abbi compassione «di Bianca che tanto amasti e dei miseri tuoi figli, pietà della «povera madre ...».

Quae omnia comprobant scelestum Pauli consilium fuisse firmum, et non unius diei nec motum desperationis inopinatum. Magis enim credenda est Pauli mater scribens ea tempore minime suspecto, quam eadem mulier, respondens, quasi ad effugiendum quaesitum Iudicis interrogantis circa pravitatem filii: «In un «momento impulsivo mi disse di volere abbandonare la religione; «del resto non mi consta nulla (id est «di farsi ortodosso per «potere sposare una ragazza ortodossa che sarebbe la sua amantete»)» (ad 14). Factum autem lapsus in schisma, actor non negat, quamvis non concordet de tempore cum aliis: «Mi trovavo «costretto a tale passo. ... Avevo voluto in atto di protesta essere «cancellato da una religione che aveva simili funzionari», ita in declaratione ad Curiam X., supra citata. Re vera legitur in epistola scripta a Dña Blanca ad socrum, die 6 septembris 1927: «Suo figlio addietro 20 giorni è passato nella religione greca e «tutto ciò che fa, lo fa senza paura di Dio ...». Similiter filii in epistolis loquuntur de transitu patris ad schisma: «Io ho raccontato alla nonna l'intera cosa, essa su ciò piange ... e specialmente quando intese che è passato nella religione greca». Et cfr. epistolam Edgardi, relatam sub n. III, *Summ.*, p. 63.

11. — Nunc autem perpendantur oportet ea capita quae actor conguessit, ut probaret uxoris consuetudinem esse sibi iniuriosam et periculosam valde, ideoque separationem instituendam esse. Verum quidem est, plura ex relatis a Paulo admitti possunt, sed si componuntur cum aperta ista Pauli voluntate derelinquendi uxorem et Fidem, accipiunt speciem, ob quam destituuntur vi probativa pro intentione Pauli.

Iamvero inter testes ab actore productos, alii, ut eius mater, soror Dña Ines, retulerunt plura quidem sed modo sat generali, ita ut certa gravitas non comprobetur molestiarum ex parte ux-

ris: «Esistevano continui malumori — ait mater — che non erano «giustificati, perchè Paolo era premuroso» (ad 7). «Litigi e «risse domestiche, generalmente parlando, non mancarono tra «le parti, provocate per lo più da parte della Bianca, perchè non «aveva buone maniere», ita Dña Ines, ad 8. Alii autem testes, ut D. et Z. P., M. B., R. P., B. M., viderunt coniuges iurgantes, sed vim verborum aut iurgiorum causam exacte referre non valuerunt.

12. — Verum quod ex attestationibus haud erui potest, id desumendum videretur ex ipsius reae confessione scripta et ore tenus edita. Enimvero eius epistolae, quas minime denegat, plenae sunt verbis adversus maritum Paulum durissimis et vindictae minis: «Cane, sciagurato, miserabile, ladro, più grande è la sua furia, «io più me la godo», ita Blanca in epistola ad filium. «Spero «di potermi più tardi vendicare, ma vendicarmi atrocemente», ita ad socrum, 6 septembris 1927. Alte autem reprobentur oportet ultionis minae excessusque verborum istorum, maxime ex parte matris ad filios adversus patrem. Privato enim non permessa est vindicta, quamvis coniux alter causam culpabilem dederit (cfr. Sanchez, *op. cit.*, lib. X, disp. 18, n. 5). Attamen ex altera parte prae oculis habeatur motivum quo ad talia effundenda efferebatur infelix uxor, a viro tradita ac derelicta: «Dopo avermi «sfruttata fino all'ultimo e fatto languire in ogni senso tormentata, sputata, bastonata, dato il titolo di sgualdrina e minacciata «di rivoltella, mi avete gettato sul lastrico», ita Blanca ad virum. Nec praetereundum est quod Blanca virum exprobravit fortiter quidem, sed non tam secundum naturam, quam secundum culpam, videlicet non odiendo maritum, sed peccatorem, ac totam rem ad divinam iustitiam remittendo: «Potrei terribilmente su di voi «vendicarmi e dopo di avermi trovato un posto gettarvi sul lastrico come voi lo fate per me, ma aspetto la giustizia divina», sic Blanca ad Paulum.

Quibus hinc inde perpensis, quamvis modus quo Blanca scripserit, sit ex parte valde reprehensibilis, tamen ad propositum seu praestetne causam separationis iustam, negative respondendum est, nam in casu haud constat in animo Blancae fuisse malitiam et pertinaciam, indomitam improbitatem, quae metum gravem incutere potuisset in Paulum; deficit quoque odium istud implacabile, seu absque spe reconciliationis; nam uxor instanter petebat conciliationem, per amotionem causarum tantorum dissidorum,

nempe ut Paulus renuntiaret turpi isti commercio et voluntati discedendi ab avita Fide. Vir autem, nocens, conciliationem denegabat.

13. — Quod et magis adhuc patet si ad trutinam vocantur quae uxor respondit ad accusationes motas a viro super capita supra relata. Blanca enim plura facta admittit, sed sic ea exponit: *de officiis oeconomicis quae viro recusasset implere*: « Lui voleva — ait Blanca — che il pranzo gli sia portato sopra nell'officina, « dove erano sempre con lui assieme il fratello e la sorella della « sua amante. Io non volli essere cuoca e serva di queste persone, « ma gli dissi tante volte che continuasse a mangiare nella sua « stanza dove io stessa gli servivo ». *Circa altercationem et sellam in virum vibratam*: « Altra ragione di questo malumore, che esiste « fra noi, io non conosco. Se io ho agito in questo modo, deve « essere stato soltanto un atto di difesa, ma io non me ne ricordo « di aver voluto battere mio marito con una sedia pesante, nè « mi ricordo di aver messo mai le mani sopra mio marito, quan- « tunque molte volte sia stata maltrattata, e sempre per la stessa « ragione ». Ad haec notandum est quod Dña Ines, quae iuxta Paulum fuerit testis altercationis huius, nempe cum sella, de re nihil dixit; deinde observandum est quod uxor pluries fuerit a viro verberata, dum vir, inter suas accusationes multas adversus uxorem, non dixit se ab ea unquam verberatum esse. *De domus derelictione*: « Lui mi tormentava sempre — respondit uxor — « che io devo andare fuori di casa, ed il fratello della sua amante « mi faceva dispettucci; così che io presi mal di cuore e fui co- « stretta di cambiar l'aria e riposare un poco, e perciò andai per « pochi giorni a N. da mio padre ». Non agitur heic de malitiosa desertione, sive affectata absentia (cfr. Wernz, *Ius matrimoniale*, 1904, n. 713, nota 138, cum Conclusionibus S. C. C. all.). Eo magis quod in casu, si postea Blanca ad domum familiarem regredi non potuerit, vir est qui id absolute prohibuerit, vocatis quidem publicis custodibus, ut patet ex telegrammate Pauli ad patrem Blancae, die 20 augusti 1927, ex declaratione quoque eiusdem mariti ad N. S. T., adnexa ad suam depositionem, in qua Paulus non veretur asserere, quod nullis precibus commotus fuerit ad recipiendam uxorem.

*Quoad autem filios, quos Blanca adversus patrem excitasset*, haec exposuit: « I figli hanno visto quello che succedeva in casa e « perciò hanno perduto l'affetto verso il padre ». Qui lugendus

effectus utique admitti potest, attento nefando modo quo Paulus ipse et uxorem et morum honestatem publice offendebat. Nec obiiciatur Blancam scripsisse ad filium Edgardum haec verba: « Non permettere, sebbene io sia lontana e non sento, che mi in- « giurii; tosto devi redarguirlo ». Verba enim huiusmodi non suffi- « ciunt ad probandum, quod mater efficaciter induxerit filium ad manus violentas in patrem iniiciendas; atque, ut narrat testis M. B., ab actore productus, ira Edgardi in patrem haud diu protracta est nec minae ad effectum venerunt. Et notetur quod pater provocabat ipse filios adversus matrem; filii autem tentationi matrem vindicandi restiterunt: « Più volte dico qualche cosa a « mio padre, ma egli comincia a gridare su me, così che non mi « resterebbe altro che venire a bastonate con lui, questo non posso « fare, sebbene che lo meriterebbe, e allora resterei io sulla strada. « Molte volte parla contro la mia mamma, ma io questo non posso « tollerare, e allora scappo via ». Ita scribebant ad avum Rolandus et Edgardus, filii Pauli et Blancae.

Si uxor eiusque pater *apud ministros superiores* institerunt ut Paulus a civitate X. amoveretur, huiusmodi amotio medium erat utique opportunum, quo abrumperetur tandem flagitiosum, idque cunctorum malorum causa, commercium istud viri cum puella. Et mater actoris ipsa suadebat, ut tentaretur remedium illud: « La lontananza momentanea potrà forse molto, tentiamo, « Paolo dovrà cedere, dovrà venire il pentimento, il ravvedi- « mento » (epistola ad patrem reae). Si denique Paulus se existimet diffamatum ob epistolas aut verba passim prolata personaliter a patre Blancae, res ad separationis coniugum non spectat.

14. — Sibi igitur Paulus imputet quae vitam coniugalem gravissime perturbaverunt, nisi excusatio aliqua petatur a morbo nervorum quo iam ab annis plurimis affectus est, ut ipse in utraque instantia affirmavit ore tenus et scriptis suis; sed non probavit causam hyperexcitationis esse tribuenda molestiis intolerabilibus quas passus fuisset ex parte Blancae. Quidquid sit autem de conditione nervosa in qua versatur Paulus, certo tenendum est quod is ostendit factis suis et dictis variis, minime fidendum esse ipsi, qui facillime oblitus sit conscientiae. Quapropter non obstante assertionem suam de conversione perfecta, seu de publica relationis pravae abruptione, separatio admodum periculosa videretur, cum nulla causa iusta in casu probetur, ac ea cedere posset directe contra finem legis. Attentis enim iis quae ex actis probantur, pe-

riculum adest ne Paulus separatione abutatur ut sectae schismatice adhaereat, ut vitam crimosam et ignominiosam ducat, ut in grave animae periculum incidat.

15. — In hisce terminis, haud diu immorandum videtur de examinandis assertis dissidiis, quae vitam communem a prioribus iam annis perturbavissent, nam actor non adduxit dissidia illa ut causam directam separationis sed solum contendit graviores ob ea esse vexationes quas novissimo tempore passus est. Sat animadvertantur haec: recte non diudicaretur anteacta vita ex iis quae nuperrime ob animorum exacerbationem hinc inde dicta aut scripta sunt, ut, v. g., ex iis quae uxor ad virum scribebat: « Mi avete dato 18 anni di martirio ». Non enim infitiatur quod vita communis quandoque fuerit turbata; sed id minime tribuendum est uni uxori, nam vir, attenta eius indole, et eius mater partem suam in iis dissidiis habuerunt, ut facile depromitur ex diario Blancae, quae queritur de iis quae patitur ob vitam ductam cum socru. Verum haud semper obnubilatum fuit vitae consortium, nec defuit mutuus amor: « Disgraziatamente voglio tanto bene a Paolo », scribebat eadem Blanca in diario; et de vera dilectione, qua vir prosequeretur uxorem aegrotantem, testis est Pauli mater, ut narrat in epistola ad patrem Blancae. Plures autem suscepti sunt filii, quorum ultimus natus est anno 1924, eosque pari dilectione uterque coniux prosequitur.

16. — Quibus tam in iure quam in facto consideratis, Nos infrascripti Auditores de turno etc. definitive sententiamus, respondentes ad dubium Nobis propositum: *Ad primam partem, negative; ad secundam partem, provisum in prima.*

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 6 augusti 1930.

Andreas Jullien, Ponens.  
Franciscus Guglielmi.  
Henricus Quattrocolo.

Sententia facta est executiva.

## EXC.MO P. D. MAXIMO MASSIMI, DECANO

### NULLITATIS MATRIMONII

#### SUMMARIUM

1. Facti species: resumitur decisio 20 ianuarii 1928. — 2. Iuris principia de impedimento vis et metus. — 3. Aetrix contendit se invitam prorsus ad nuptias ineundas adductam fuisse materno imperio, — 4. quod confirmant testes ab ea inducti, nempe mater, — 5. frater, — 6. 7. soror, — 8. sororis maritus, — 9. et bini alii testes, — 10. quibus testimoniis fides non est abnuenda; — 11. 12. 13. respondetur argumentis contrariis a sententia appellata adductis. — 14. Neque obstant depositiones viri, — 15. aut ceterorum testium, — 16. aut circumstantiae matrimonii celebrationem secutae. — 17. Restituta autem fide testibus ab aetrice productis, patet agi de metu matrimonium dirimente. — 18. Fertur sententia pro matrimonii nullitate.

#### DECISIO XLVIII

1. — Ada, patre orbata, cum matre degens in oppido N., dioecesis X., nondum duodeviginti expleverat annos, cum novit Remum, annorum duodeviginti, qui eam postulavit in uxorem. Remus, ex America redux, dives putabatur, ideoque propositae nuptiae placuerunt matri, quae penes filiam, cui Remus displicuerat, institit ut eadem contraherentur. Quod factum est die 3 ianuarii 1914, paucis exactis a postulatione mensibus. Coniugum vita, etsi semel prole recreata, satis infelix fuit, sed ad definitivam separationem ventum non est nisi anno 1923. Tum Ada matrimonium nullitatis accusavit ex capite vis et metus sibi a matre incussi atque favorabilem retulit sententiam Tribunalis X. die 2 decembris 1926. Quam in gradu appellationis infirmavit Rota. Itaque, tertia in instantia, quaeritur: *An sententia Rotalis diei 20 ianuarii 1928 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu.*

2. — **In iure.** — Cum nullum sit matrimonium initum ob metum (cap. 14, 15, 28, X, *De spons. et matr.*, IV, 1), qui gravis sit ab extrinseco et iniuste incussus ad extorquendum consensum matrimonialem, ut tenuit communis doctrina et iurisprudencia (cfr. Cod. I. C., can. 1087), sequitur metum ipsum reverentialem valorem matrimonii impedire, si propter adiuncta fiat gravis aliasque conditiones, quae sunt expositae, praeseferat. Purus scilicet reverentialis metus in foro externo pro levi habetur. Itaque,